

Q.K. 395, 22.

31

II n
3396

X1903423

*
Q. D. B. V.

RES PRUS- SORUM,

PRÆSIDE

CONRADO SAMUELE SCHURTZFLEISCH,

publicè expendit

JOHANNES ADOLPHUS KIRCHBACH,


In Auditorio Majori, d. 22. Maj.



WITTEBERGÆ,

Formis WENDIANIS excud. DANIEL Schmaß/ Acad. Typ.

ANNO clc lcc LXXII.



38
R38.



RES PARS
SORUM

PRÆSIDI

CONRADO MALLER
SCHURTELFESCH

publice respondit


JOHANNES ADOLPHUS
KIRCHBACH

In Auditorio Actorum &c. &c.

Actum die & loco &c. &c.

WITTESBERG

Joannis Wendmanns secundi, Cantoris &c. &c.
Hæc est loc. &c. &c.



AUTORES RERUM PRUSSICARUM.

Helmoldus, Nicolaus Jeroschinus, Erasmus Stella, Georgius Ranis, & qui illum sequitur Daubmannus, huncque iterum sæpe Caspar Henneberg. Caspar Schutz, Simon Grunavius, Balthasar Schlubuth, Johan. Freyberg, Henricus Zell, Steinschneiderus, Milfelt, quorum Chronica passim laudantur, inprimis quod affectum est ab Episcopo Paderbornense, vulgo Hohemeister Chronick / & Dantiscanum Anonymi cujusdam, quorum tamen alia mendosa, alia in rebus antiquissimi ævi fabulis immixta.

2. Idem argumentum prosequuntur Albertus Cranzius in Vandal. & qui hunc supplet David Chytræus.

3. Præter hos nominandus Jornandes, qui Geticis suis plurima inseruit Slavica, tum Scriptores rerum Sarmaticarum Matthias Michovius, Martinus Cromerus, & qui hunc ferme in compendium redegerunt Salomon Neugebauer, & Joachimus Pastorius, cumq; iis Herbur-tus de Folstin, nec non Jacobus Augustus Thuanus, cum digreditur ad origines Germanicas.

4. Historia hujus gentis aut turbat interdum, aut hiat. Culpa rejicitur in milites Marianos, qui vetustissimos Prufforum annales igni deleverunt: non secus, atq; olim Misnensium Thuringorumq; fasti aliquando abierunt in fumum, restaurandi ex Joh. Garzone, seu vero potius autore Erasmo Stella, eruditissimo Misnicæ antiquitatis scriptore.

5. Summatim historia Prussica vel est fabulosa, quæ ducitur à rege Widowutho, vel incerta, qualis est ante adventum Cruciferorum: Vel certa & ἐνδηλῆ, qualis est à tempore Cruciferorum. Huic serviunt Codices Manuscripti, & Chronica doctissimorum Virorum, at nunquam nisi cum delectu, id est, cum judicio historico & argumentis, sive characteribus illud firmantibus legenda.



^{1.}
PRUSI, vetus natio, & pluribus retrò seculis inculta, hodie multùm ex vita & moribus mutaverunt.

2. Orti sunt ex Slavis, * jamque ab ultimo ævo asperi memorantur & feroces.

* Hæc illa celebris portio Slavorum trans-Viadrum sitorum. Vulgo dixeris Slavos trans-Oderanos, quibus adnumerandi Pomerani, Poloni, Bobemi, Rusi, ut indicat autor scholiorum antiquorum in Ad. Bremensem l. 2. cap. 10. Quo conf. Helmold. l. 1. cap. 15. Sed non omnes Slavaniæ partes, nedum simul factæ obnoxia sunt Imperio Germanorum. De Prusis, opinor, constat, primum Ottoni M. tributum pendere coactos: deinde tertio decimo seculo Ordinis Teutonici imperata fecisse, & unà jus accepisse Teutonice civitatis. Antea quidem, id est, X. Sec. vectigales erant Nostris, sed nunc quoq; ditionibus Germaniæ accensebantur. Ut minimè dubitem, Ottonem M. Slavorum felicissimum victorem subegisse Slavos tam cis-quàm trans-Oderanos, inprimis Pomeranos & Bojobemos. Eo conf. Ad. Bremens. lib. 2. cap. 8. H. E. & Witichindus Monachus Annal. 2. De Russis Prusisq; sub jugum missis confirmat nos Helmoldus l. 1. cap. 15. Poloni seriùs, id est, demùm Henrici sancti tempore, redacti sunt ad hanc legem. Vid. Frising. Chron. l. 6. cap. 28. Tantummodò hic cavendus lapsus est

est in historia migrationis Vandalorum & Venedorum, quam accuratius excusit Helmoldus, nec ante eum ignoravit Magister Adamus, ut vocat ipsum Helmoldus.

3. Valuerunt nihilominus multis naturæ bonis: corporibus robur eximium, ac nulla mollitie fractum, eoq; terribile hostibus æquè ac sociis visum: præcipuè iis, qui ab Scythia Sarmatiaq; impetum effudissent.

4. Sed animi dotes non eadem, nec mite sane ingenium, & bello maximè duratum fuit.

5. Laudi tribuam, quòd abhorrerunt à luxu, abstinentes juxta & satagentes suarum rerum: liberales insuper, sed non profusi, & quantò magis modico asueti, tanto minùs laborum suorum negligentes. Vita pro captu istius ævi seria, cultus vestium simplex erat, calcei viminibus consuebantur.*

* Vid. Helmold. rer. Slav. l. 1. cap. 1. Cass. Henneberg. in brev. descript. Pruss. p. 5.

6. Nomen genti propter accolos Russos* impositum credunt. Nec desunt vestigia, quæ sequantur. Nominasse sufficiat Presbyterum Bozoviensem, cui posteritas debet, quicquid sive ad patriam, sive ad origines pertinet Slavorum.



* *Adamus Bremensis l. 2. cap. 13. H. E. Pruzzos scribit, ed. Vellejan. Alb. Ab. Stad. A. 917. Pruciam vocat regionem Prussorum. Helmoldus signat Pruzzos, vicinos ipsorum Ruzos (Lamberto Schafnaburgensi Ruzenos) qui hodie Rusfi appellantur, inflexis nonnihil ac mutatis, ut docti conjiciunt, apicibus ex Slavica loquendi ratione. Prisco illo & certas Historiae Prusicae rationes nondum habente aeo Sarmatarum Henetorumq; nomine comprehensos, ne quicquam ambigo: Vid. Johann. Bugenbag. Dissert. de migrat: sequiori, quod medium dicimus, Slavorum Venedorumq; verbo continebantur. Sigebertus Gemblacensis ad A. 977. Brutios tradit, & tradit, credo, per errorem. Si enim assequor recte, Brutios Italiae, converso nomine Calabros, voluit intellectos. Atque id in promptu est evincere vel solo indicio eorum, quae prodidit ad A. 1015. ubi BRUCHUOS nominat, haud dubie denotaturus Prussos. Impeditq; se hic adeo iste autor, ut vix expediat, quod intuenti vel ultro innotescet. Marianus Scotus, quem alioqui non semel sequitur Sigebertus, tradit A. 995. Adelbertum in civitate Aprutis tulisse honorem martyris. Quae verba Henricus Bangertus de Prussia interpretatur ad Helmold. l. 1. cap. 1. Contra index Pistorianus Aprutium Italiae expressit. Adeo tenebrae involverant historiam hujus gentis: primus ex abdito eruit Helmoldus, in quo nil desidero, quantum ad commemoratio-*

rationem rerum gestarum, desidero autem saepe merito accuratorem civilium notionum. Sed de utroque infra erit, ut videamus. Verum enim vero alii Prutenos malunt, quos Prussos alii. Eo allegant Prutenum quendam. Sed aut fallor ego, aut isti fabulantur, cum talem quarunt nominis conditorem. Quanto rectius Caspar Peucerus l. 4. Chron. adstipulatur nobis. In Rossorum, inquit, vicinia Borussi confederunt, etiam ab Oriente profecti, sicut indicat nomen, quod Henetum est, & Colonos Russis contiguos denotat. Ab his Prutenorum, seu Prussorum nomen defluxit. Haecenus Peucerus, plus vero, quam fama innixus. Nil adjecerim, nisi quod nomen illud dudum invaluit ante Helmoldum, jamque innotuit scriptoribus seculi X. res complexis.

7. Traditur, à Cimbris * excultos esse ad mitiores vitæ leges. Haud dubiè à Saxonibus didicerunt meliores literas, & egregia instituta morum, & ipsam denique Teutonicam linguam.

* Primo omnium Cimbrorum consuetudine emolitos, approbat nobis præter alios Simon Grunau, & ex eo Casp. Henneberg, in cap. de vet. & infid. Pruss. sed cautè & velut candens ferrum attingenda ea historia est, quæ ad Cimbras ascendit. Memorabile hic, quod tradunt, Prussos ante Cimbrorum adventum rudes adeo atque impolitos fuisse, ut quos legendi scribendique peritos vidissent, prope Deorum haberent loco.



loco. Deinde magis imbuti institutiq; sunt à Saxonibus. Non secus, atque olim Pomerani, de quibus vid. Micrael. lib. 3. Vet. Saxonice Pom. De his Thuanus. Saxones, inquit, Orientem versus veteres fines egressi, Borussos & Transylvanos, qui hodie appellantur, Germanicè loqui docuerunt. Tanta seu vis temporis, seu consuetudinis aliarum gentium est, aut corrigit animos, aut permulcet. Gratulor vobis, o Prusfi, hanc felicissimam conversionem. Aucti literis, exculti legibus estis. Recessistis à veteri asperitate, exuistis barbariem antiquam.

8. Christianorum sacra unde hauserint, non perinde constat: hauserint vero à Polonis, an à nostra gente, diversis studiis certatur. Plerique Boleslao vindicant illam laudem, audentq; affirmare, primum hunc fuisse, qui Prussos adduxerit ad Christum.

9. Mihi animus est, procul studio referre de his rebus, ac reddere autores ex vero, qui Prussos revocarunt ab impio cultu, eoq; primum sequendi Christianos exemplum prodiderunt.

10. Annus agebatur Christi supra nongentesimum septimus & nonagesimus, * quùm Prusfi Polonos ad iram concitarunt atq; ultionem. Erat apud hos quidam nomine Adalberti, ** vir vita & officio sanctus, qui sive sponte sua,

165
sua, sive, ut fertur, oraculo Dei monitus in Prusiam venit, Christi sacris operaturus. Prusii, ut feroces erant, venienti protinus occurrunt, necem denunciantes, nisi confestim se proriperet ad suos: ajunt insuper, odisse peregrinum sacrum, & detestari ejus autorem: facesseret igitur quantocyus, & vitaret probrosam mortem: si vel pertentaret suorum voluntates, sciret, exitium instare. Ita nullum Adelberto, nisi in fuga, vitæ servandæ remedium erat.

* Lambertus Aschafnaburgensis ad A. 997. intrepidi confessoris honorem tulisse indicat. Adalbertus, inquit, Episcopus martyrisatur. Marianus Scotus innuit A. 995. Sigebertus ad A. 977. perhibet, Adelbertum claruisse apud Winidos, eundemq; apud Brutios martyrio affectum. Dubium, Brutios Italiæ, an Prussos, alio nomine Pruzzos, & Prucios, designet. Inde est, quòd tradit ad A. 1015. Adelbertum apud Bruchuos capite luisse studium annunciatæ Christianæ religionis. Helmoldus dum Prussorum res literis mandat, fidem facit, ab his passum esse Adalbertum. l. 1. Chr. Slav. cap. 1. & libr. eod. cap. 15. Consentunt fermè omnes Poloniæ annales, & tabulæ Ecclesiarum Sarmaticarum. Historia in compendium redacta est à Salomone Neugebauero in Bolesl. Chrobri. Cædis patranda instinctores antistites fuisse & sacrificulos non Christianos, proditum est. Nec id miror, qui sciam ex Hel-

B

moldo

moldo, tam superstitionis suæ tenaces fuisse, ut lucos fontesq; suos non passi sint adiri à Christianis: tum etiam quòd immanissima suppliciorum exempla statuerint in præcones Christiani cultus.

** De Adelberti prænomine multum dissimilitudinis est in scribendo. Ac id hæud dubiè Slavica indolis est. Sigebertus *Wittech* ad A. 977. *Guicteth* ad A. 1015. exaravit. Quod argumento est, duos fuisse Adelberti nomine insignes. Afferit Paulus Langius in *Chron. Citiz.* p. 761. Adalbertum alterum hujus nominis Polonorum Prussorumq; præconem fuisse: priorem autem docuisse Rugos, id est, ut arbitror, Sigeberti *Winidos*, aliàs *Winitbos*, seu *Winulos*, quorum prima portio Pomerani. *Helmold.* l. 1. cap. 2. ut hæud abs re credas, prænomen *Guicteth* quadrare ad nostrum Adalbertum. Rerum Slavicarum conditores pleriq; scribunt *Voicecbum*, alii *Voytichium* vocant: innuiturq; id in *Chronico Langiano* edit. *Pistoriana*, sed non exprimitur. Frater ejus *Gaudentius* ab *Aschafnaburgense* memoratur.

11. Sed firmo ad versus mortem animo Adelbertus, nec formidabat minas, nec deprecabatur pœnam. Tanta subiit fiducia, animum Viri: aut docere volebat, aut mori.

12. Prusii seu contumeliam, seu contemptum sacrorum suorum interpretati, vim parant. Comprehenditur Adelbertus, & cum fallendo eluctari

166
eluctari noluisse, constantiam ostendit. Filch-
hausium* vocant locum funestum clade. Sic
foedata innocentis supplicio manus, infaustum
rebus Prusicis omen fuit.

* Multum abit Marianus Scotus, nec Fischbau-
sum vel apice nominat, sed in civitate Aprutis sup-
plicio affectum scribit. Fallit, si Italia Aprutium in-
telligit: Si Praustum scripsisset, propius deflexisset à
vero: nunc cum nil tale in Prussia accidisse commemo-
ret, deserendus merito est. Ut mirer, quomodo Ban-
gertus adstruat ex Mariano, Adelbertum in Prussia
luisse. Alioqui Fischhausium comprehenditur ambitu
Prusiae Ducalis, ut Praustum finibus Prusiae regalis,
fortè lapide distans Gedano. Sed nos satis habeamus,
adduxisse Helmoldum l. 1. cap. 1. qui illustrem extulit
haud dubie generis ratione. Nam insignia Bohemici
Baronis, auctoritatem Episcopi Pragensis habuit. Paul.
Lang. Chron. Citizens. p. 761. Episcopus hic, si quis-
quam, laudandus, qui vitam & fortunas suas in re-
ligionis amorem impendit, ac longinquis adeo itineri-
bus confectis, plurimum commodi attulit ad res
Christianorum: cumq; eodem consilio ivisset ad Prussos,
à gente, quam piissimo officio demereri non poterat,
probrosa morti est addictus: dignus, qui Scytharum
Sarmatarumq; communis doctor, & fortè, si loqui ita
licet, alter Apostolus dicatur. Supplicii, quod super-
stitio irrogavit viro, persequitur Martinus Boregk,
B 2 scriptor

Scriptor Bobemicus. Cromerus confossum narrat, l. 3. rer. Pol. Visiturque hodie Praga sacellum illi sacrum. Hentzner. Itinerar. p. 605.

13. Averfabantur Poloni facinus, vindicaturi è vestigio, si occasio tulisset. Sed differebatur ultio, sive quòd prohiberentur metu potentis populi, sive quod anceps armorum periculum adire sibi viderentur.*

* *Saltem prima hæc radix disfidiorum inter utramq; gentem: quanquam non multo post alie lites ex causa dominationis seri cœperunt. Liberrimus cæteroqui hic olim populus, nemini subditus, ac planè sui juris fuit. Certum habeo, restricta regum Imperia non tulisse, si fortè reges tulit. Nam quod de Widi- Wuto, ejusq; posteris narrant, quàm obscurum, imò fabulosum est: Ingenuè Helmoldus: nullum, inquit, inter se Dominum pati volunt, l. 1. Chron. cap. 1. unde non ineptè arguas, statum Reipublicæ, aut potius compagis rerumpublicarum ob tam disfidencia & vix in unum civile corpus redigenda Prussorum omnium ingenia, ferè popularem fuisse, ac ductores sibi bellorum magis ascivisse, quàm plena potestate reges. Non abludit Jo. Micraelius l. 2. p. 132. & 158. vet. Wend. Pom. Otto I. ipsis tributum imposuit, sed formam Imperii (id enim nuspiam lego) non mutavit, nedum abrogavit. Sequioribus temporibus Milites Mariani formam principatus induxerunt genti, sed sub auspicio*

107.

ac Supremo Imperii Germanici jure, ut monebitur
inferius.

14. Rerum hoc tempore potiebatur in Po-
lonia Boleslaus Chrobrius, * Principis titulo,
non regis, ** isque ejus nominis primus, & de-
licium suæ gentis: verbo diceres Poloniæ Titum
quendam, ac fortè Tito aliquid majus. Hic an-
tequam moveret in Prussos, Bohemorum Mo-
ravorumq; bello distinebatur. Jam Rusi ob-
stabant, parati conferre arma, jam Saxones ne-
gotium faceſſebant. Cum utrisq; pax coaluit,
ut tota belli vis incumberet Prussis. Eousque
festinabat ultio, donec tandem opportuna
ulciscendi occasio adferretur.

* Chrobri, id est acris, sive excitati animi Prin-
ceps, nomine à Russis indito, ut interpretatur Cro-
merus de reb. Polon. l. 3. p. 40.

** Otto Frising. Chr. l. VI. cap. 28. Gottfridus Viter-
biensis Chr. part. XVII. ut de Detmaro Merseburgense,
aliisq; taceam. Recedunt quidem Polonorum annales,
sed autores eorum sive studiis obnoxii sunt, sive nimis
recentes. Et tamen non veretur Cromerus novos &
incertos, illosq; sæpe nec nomine notos scriptores ante-
ferre veteribus, cæteros verò plerumq; carpere sine
causa, inprimis Germanos Bohemosq;. Cujus vid.
exemplum l. 3. de reb. Pol. Idem auspiciatur epocham

B 3

Poloniæ

Polonia regum à Chrobrio, quod ipsi cum cæteris Polonorum historicis commune est. Sed optem post jam prædictos autores evolvi Wipponem in vita Conradi Salici, qui tradit Boleslaum, quem vocat, Slavigenam, Ducem Bolanorum (non Boëmanorum, aut Bojobemorum) aptavisse sibi regium nomen in Chuonradi regis (quippe tunc temporis nondum inaugurati Romanorum Imperatoris) injuriam contemptumq; Rex ergo non fuit, quia jure non fuit. Namq; Polonia ut illo ævo Germanorum imperatoribus tributaria erat, ita horum auspicio acceptura reges erat, si verè acciperet, si jure obtineret. Nec tamen diffiteor (commodum hoc subit recordari) quandoq; Helmoldum abuti significatione earum dictionum, quibus denotantur summæ potestates. Sanè l. 1. c. 9. Henricum Ottonis M. patrem appellat Imperatorem, qui à nullo veteris ævi, cujus meminerim, ita appellatus est: *Causa in expedito, & intelligentibus rerum civilium nota.* Ad hunc, opinor, modum l. 1. c. 15. *Chr. Slav. Regem vocat Boleslaum, sed haud dubiè non exquisita notione regis, aut fortè per errorem, aut, quod magis suspicari liceat, quod affectasset nomen regis.* De cætero nos in vectæ in Poloniam regia dignitatis epocham constituimus in Premislao, cujus regnum incidit in A. 1295. Cromerus l. 3. rer. Pol. pag. 41. 42.

15. Cùm pugna instrueretur, Deus stabat pro meliori causa: nam & fusæ sunt Prussorum copiae

copiæ, & pleræq; ipsorum ditiones venerunt in hostis potestatem. Tandem his legibus pax coivit, penderent tributum Prusfi, * & abstinerent ab innoxiiis confessoribus manum: adhæc præstarent securitatem omnibus, qui docendi causa ad ipsos mitterentur. Hæc prima occasio initiandis Christo Prusis, & egregia auspicio, & vindicatæ religionis dignitate venerabilis fuit.

** Salom. Neugebauer in Bolesl. I. qui fermè Cromeri verba retinet, & scriptores rerum Prusf. passim. Ubi observes, quasdam conditiones apertè tradi, quasdam innui, & eventu judicari, ut illa est de mittendis, qui doceant Christianos ritus.*

16. Verum enim vero quanto plus ex conatu, tanto minus ex successu illud consilium habuit, neq; jam sola ultio, sed dominatio * parabatur, & sæpe speciosior titulus, quàm verior quærebatur, familiari regnantibus exemplo, quum honorem rei divinæ usurpant potentiaæ firmitamentum.

** Id ferè colligo de Boleslao Crivousto, & Principe Casimiro Miecislai senis fratre, dum mores, acta, destinationes horum inspicio propiùs & examino. Sed scriptores Polonici ut suis indulgent, ita quædam emolliunt, de quibus ex factis facile judicium ferat intelligens rerum. Omnes enim autores allegare, aut supra alle-*



allegatos repetere non licet in hac scribendi festinatione.

17. Prussorum ut fortuna, ita animus apparuit: rebus turbatis quidem præferre aliquid Christiani cultus, mox, dum periculo eximebantur, abolere iterùm * cœperunt. Nempe servari hæc gloria Teutonibus, Teutonico certè ordini debuit: quando quidem bonæ leges, melior disciplina, ac instituta passim egregia accepta sunt auspicio nostræ gentis.

* *Tempore Boleslai I. nondum recessisse ab impio cultu certum est. Quanquam enim post gestum cum ipsis bellum Doctores ad eos dimiserit, tamen obstinatè ad hæserunt sacrificulis Idolorum, quos CRIVE appellabant: vid. Martinus Cromerus rer. Pol. l. 3. p. 42. Cass. Henneberg. & complures. Boleslao Crispo promiserunt, accessuros ad Christiana sacra, sed non servârunt, Neugeb. in Bolesl. Crisp. p. 106. Nec sub Casimiro meliorem ingressi viam sunt, obstinatissimi avitæ superstitionis defensores, Idem in Casimiro Principe p. 118. Postea Conradus Masovia Dux A. 1222. Lesco albo tertium potiente rerum, ritu Christiano imbuere cogitavit, instituto ad eam rem peculiari Episcopo. Sed neq; id successit: Id. p. 132. Donec Fratrum Teutonicorum operâ laboreq; frangerentur demùm, atq; initiarentur Christo.*

18. Hæse-

18. Hæserat ab illo tempore barbaries Prus-
sis, quam seriùs exuerunt, nec nisi imperio alie-
no.* Verbis molliri non poterant, & precibus
nihil, hortationibus minimùm concedebant.
Usq; adeo obstabat avita obstinatio, & bellandi
amor.

* Sub hoc tempus, quo nondum subacti à Crucige-
ris, nec condocesfacti ab his erant, notatur Prussorum
barbaries à Cromer. l. 7. rer. Polon. Neugebauer H.
Pol. l. 3. aut. T. VII. Hist. Aug. p. 558. Henneb. in de-
script. Magistr. Teuton. Ordinis. Quod ex codice E-
piscopi Culmensis Simon Grunaw, & ex eo Cass. Hen-
neberg. referunt, A. DXXIII. à nato Christo Prusis
leges promulgatas esse, id nemo non intelligit, fabu-
lam præse ferre. Nec temere affirmari potest, à Po-
lonis rationes humanitatis accepisse, atq; scriptas le-
ges. Maximè ob immane odium, quo Polonos prose-
quebantur. Tum verò nusquam invenitur, Polonos
sanxisse Prusis scriptas leges. Si tributum imposue-
runt belli jure, non continuò existimandum est, simul
tulisse leges. Nam & Otto, ut supra diximus, M. Prussos
vectigales fecit, neq; tamen apud ipsos leges Teutonicas
instituit, sed jure suo uti permisit. At dederim, à Polonis
ad Prussos penetrasse leges, (certum enim est, ab his ad
illos non transisse,) negabo tamen, jure imperii Prusis
latas, ut qui non Polonorum, sed suo arbitrio impe-
riog; regerentur illo ævo. Ne dicam, Polonos ipsosmet

G jus



jus suum petiisse aliunde, & judicasse jam olim more Teutonico, quod adeò verum est, ut quoq; in disceptatione causarum à tribunali Cracoviensi provocaretur ad tribunal Magdeburgense, quod sustulit Casimirus M. Neugeb. l. 3. p. 205. Casimirus III. demùm autor est Prussiae regiae titulo appellatae. Crom. l. 26. Horn. Hist. Imp. p. 333. Quae ut ab ejus tempore cum Polonis coaluit in unius Reipublicae corpus, ita demum legibus illius haud dubie contineri coepit. Vid. David Chytraeus in Boruss. ad An. 1454.

19. Itaque armis disceptanda causa erat, vindicandumq; insuper, quod admiserant in Conradum Masoviae Ducem. * Mirum dictu, quam nil timerent Prussi, seu viribus, seu fortunae confisi. Petebant aliena, ** periculum adibant ingens, proponebant animo praedas, proponebant ultionem. Mox infundebantur in diriones Conradi, *** & nunc damna, nunc clades vicino populo adferebant. Ubique vastitatis & direptionum vestigia cernebantur: nec licebat patientiam sanare vulnus, ne latius noceret neglectum.

* Neugeb. Hist. Pol. l. 3. p. 130. Chytraeus in Boruss. A. 1220. Accedebant injuriae in Polonos partim ex causa tributi, quod pendere recusabant, partim ob excursions in Polonorum agrum factas. Vid. Neugeb. Hist. Pol. l. 3. p. 60. p. 106. 118. &c. Titulus ergo belli non à religione, quae nullum justè bellandi momentum habet, sed ab injuria, ut intelligitur, sumptus est.

** In-

170
** *Indicant hoc excursiones variæ irruptionesq; in
Polonorum fines.*

*** *Cromerus rer. Pol. l. 7. Neugeb. l. 3. p. 130. Chy-
træus d. l. & annales Polonici passim.*

20. Itaque acciti sunt ex Germanis milites, ii-
dem exerciti bello, & durati longo usu. Hi ab or-
dine, * quem profitebantur, Teutonici fratres, à
Præside Ordinis, quam colebant, Mariani, à tessera,
qua utebantur, Crucigeri sunt appellati. Ductor,
seu caput illorum erat quidam Magister, hoc nomi-
ne vocari solitus, ut prærogativæ indicio esset, at-
que supremi in illa societate honoris. Primus eo ti-
tulo Hermannus Saltzensis ** venit in Prussorum
regiones, idem auxiliator Conrado, & Prussicæ gen-
tis ultor futurus. Facta utrinque pactio A. M. CC.
XXIX. partim ut cresceret fiducia animis socio-
rum, partim ut justitia contineretur bellum.

* *Sub hujus Ordinis initium, quod sibi Palestina
vindicat, Prussia hoc omen habuit. Ventus à septen-
trione ortus, XII. annis continuus spiravit, afflictis-
simis Prussorum rebus, & navigiis fermè omnibus cum
maximo ipsorum detrimento computrescentibus. Cassp.
Henneberg. in Henrico Walpotio. Non pigenda, opinor,
opere erit, hoc omen conferre cum isto Tilliano, haud
secus ex flatibus ventorum accepto, quum Hamela de
obsidendo Magdeburgo consilia caperentur. Describit
Adolphus Brachelius ad A. 1631.*

C 2

** *Vulgò*

*** Vulgò Hermannus de Saltza, Crom. l. 7. rer. Pol. Comite Willebrando ab Oldenborg, eodemq; scriptore itineris Orientalis, in Palestinam profectus. Vid. Hallervord. in Willebrand. de hist. Lat. Is egregia virtute floruit & singulari pietate, qua non tantum sibi dignitatem, sed Ordini quoq; honorem conciliavit, ut apud Fridericum II. Imperatorem ac Pontificem præcipuo loco esset. Henneberg, descript. Magist. Ord. Teut. in Hermanno de Saltza. Sub eo primum auspiciū fuit Generalium Ordinis Magistrorum, cum antea sine adjectione atq; elogio Magistri Ordinis Teutonici appellarentur, id est, Meister / non Hohemeister. Vid. Henneb. cit. loc.*

21. Conditiones erant æquissimæ, & non modo partium, sed etiam Imperatoris * Pontificisque ** consensu approbatæ. Nempe haberent Crucigeri, *** quod fortuna belli offerret: quicquid occupaturi essent, cederet in præmium laboris, idq; retinerent sub fide atq; clientela Imperii Germanici, cujus ipsi auspicio militabant. Unum, si vera quorundam sententia est, tractum Culmensem **** relinquerent Conrado, nilq; eriperent Polonis, ut quorum socii essent atq; liberatores. Subigerent saltem Prussos, nil ultra concupiscerent. Id satis ad laudem putarent & resarciendam bellici sumptus jacturam. His legibus coaluit amicitia, & permanfit ad longum usque tempus.

* Fride-

171.
* *Friderici II. cujus diploma sub aureo sigillo Teu-
tonicis magni fuit, sive ob gratiam Imperatoris, sive,
quod denotat Cromerus, ob certitudinem acquirendæ
possessionis earum rerum, quas bello occupassent. Rer.
Pol. l. 7. col. 134. Idem insigne eorum aquilæ imagine
distinguit. Henneb.*

** *Gregorii IX. ut consignatum est in MSP. Luba-
viensi Teutonicè exarato, quod inspexit Cromerus.
Vid. l. 7. rer. Pol. Valde enim hic Ordo adolevit sub
tutela Pontificum Romanorum, jamq; ante Gregorium
plurimum illi indulgit Honorius III. haud dubiè, quod
consilio atq; interpositione sua Imperatorè Fridericum
& Pontificem sibi infensos reconciliasset. Cass. Henneb.
in Herm. Saltzens. Tabulæ pactorum Conventorum,
ut multa alia, temporis injuria interciderunt, reli-
quia ab historicis servata. Crom. l. c. Neugeb. H. P. l. 3.
p. 133. Tom. VII. Hist. Aug. p. 558.*

*** *Dissentiunt hic scriptores, observante Chytrao
ad A. 1220. Nec abs re, quod vel liquet exemplo ditio-
nis Culmensis, quam Poloni Conrado ex pacto resti-
tuendam fuisse scribunt. Neugeb. l. 3. p. 133. Negant alii,
nec ipse diffitetur Cromerus, ex privilegio Friderici II.
Culmensem terram Ordini Teutonico accessurâ fuisse.
Cujus pactiois formula si etiamnum in promptu esset,
facile constaret, utra sententia vinceret? pactioe par-
tium, ut pleriq; volunt, reddendus fuisset tractus Cul-
mensis, annon? Et si id pacto contineretur, an Impe-
rator contra, quàm pacto continebatur, singulari
C 3 jure,*

jure, atq; adeo novo privilegio disponere potuisset? Rediret hic quaestio de Imperatore, utrum illis in locis Jurisdictionem habuisset? An Fridericus II. ex capite tributi ab avo Friderico I. postliminiò Polonis impositi vindicare ibi Imperium, illudq; eminent, ad rescindenda pacta conventa, valido juris titulo sustinisset? Cromerus certè, scriptor alioqui in suos indulgens, ex obliquo sugillat privilegium Friderici II. perinde ac si diceret, Imperatorem loco à Jurisdictione sua alieno jus dixisse, eoq; privilegio illi standum non fuisse.

22. Crucigeri, cur evocati essent, memores, nil cunctantur, sed prima quaq; occasione descendere in aciem parati, justum exercitum comparant, * & multa vi astuq; molientes, in pugnandi sententia perseverant.

* Celebris hac expeditio fuit, ut præter Polonos Masoviosq; plurimi voluntarii confluerent ad Crucigeros adjuvandos. Vid. præter Prusicos scriptores Polonici, & in compendio Cromerus, qui tradit, nostros in Masovia primum castellum Fogelsangæ (rectius Vogelsangæ) nomine appellatum, firmandis baud dubiè viribus, & reprimendo hosti edificasse, nec multò post secunda victoria usos, insignem agrum Prusici partem occupasse, missisq; eà coloniis excoluisse: (vid. Chytraeus.) eodemq; tempore Torunium communivisse: sudibus verò communiverint, an muro, incertum. Sane de Gedano, quod paulo serius, atq; Torunium, muniri cœpit, lego in vetustissimo diplomate

plomate hac verba ad A. 1295. Primislaus civitatem Gdanzk planis muniri procuravit. Ubi planca duntur, quae nobis sudas solo infixae, plurimum, ut per se constat, à muro differentes. Hinc monumentis Gedanensium proditum est, demùm A. 1343. civitatem Dantiscanam muro circumdatam esse. Atq; hac vera epocha est Urbis Dantiscanae.

23. Nec dum verò in melius mutati Prussorum animi, sed quanto magis res adversae ingruebant, tanto impensius pro libertate nitebantur. Habebant Poloni Masoviique, quod agerent: nec ut singuli pares, nec ut universi superiores erant. Grande populo in bellum excito adjumentum Teutones * fuere, nec temere creditum, sine his Prussos non potuisse vinci.

* *Ingenue Cromerus l. 7. affirmat, Teutones Masoviorum & Polonorum defendendorum provinciam suscepisse.*

24. Ita eductae sunt Crucigerorum copiae, numero ac virtute insignes, sociorumq; subsidiis auctae, & magno, si unquam alias, ardore pugnaturae. * Nec moram trahebant Prussi, neq; aut metu, aut minis dejiciebantur. Manu armisq; audendum erat nostris, & si quid fecius accideret, consilio cavendum. Optima vincendi ratio hac representabatur, praeliis vexationibusq; ** tantisper fatigandam esse pugnacissimam gentem, dum imperii patiens fieret, & studiosa partium nostrarum.

* *Ardor*



* *Ardor ille plurimos excivit prætextu pietatis, in viso Prussorum nomine ob peregrinum barbarumq; sacrum. Crom. l. 7. rer. Pol. Munsterus in app. Geogr. ad Ptolomæum. Idemq; vel maximè è re Crucigerorum fuit, cum diu ante susciperent expeditionem sacram, de qua vid. Albertus Aquens. Wilhelmus Tyrivius, Gesta Dei per Francos, Sigeb. Gemblac. Helmoldus, Wernerus Kolveinck, qui passagium vocat verbo sequioris ævi.*

** *Vel solo eventu actorumq; contextu hoc consilium judicatur. Nimirum id erat, bellum in hostico alere, & resistentium audaciam refringere ex propinquo. Quod ut consequerentur, igni ferroq; omnia vastabant, & hinc à fronte, inde à tergo cum sociis amicisq; instabant. Jam vix habebant Prussi, ubi se reciperent in tutum, spes commeatus præcisa erat, optimæ agri opes, & unde genti præcipue facultates, absumserat hostis, præterea opida & arces interceperat, eamq; belli sedem constituerat, ubi & servare robur suum, & nocere hosti poterat. Sed hæc ex Prussicis pariter & Polonicis scriptoribus facile colliguntur.*

25. *Illud hic præcipuè dignum admiratione duxerim, Prussos tam exiguo temporis intervallo ad parendi legem redactos, * qui à tot retro seculis per tot casus, & pericula, perq; tot mortes ac vulnera libertatem defenderant, priùs extrema omnia passuri, quàm principem externum, qui & diverso ab se ingenio esset, & dissimili lingvæ morumq; commercio*

mercio uteretur. Sed parabat novum imperium Deus, & tot hostibus ad arma excitatis, omne humanum subsidium auferebat bellicosissimæ genti.

* Cromerus l. 7. rer. Pol. ait parvo tempore magna in illis oris (Prussorum) incrementa cepisse (Crucigeros) idem verbis iisdem extulit Neug. loc. sæp. allegat. Nec dissimulant Prusfici annales. Adeo tandè vel ferocissorum animos mansuetudo subit atque disciplina.

26. Vix ad obsequium compositi erant Prussi, cum prægravante finitimorum odio sollicitantur ad repetendam libertatem. Eò operam navabat Pomeraniæ Princeps Svantipolcus, * & ad capeffendū bellum acerrimè hortabatur. Meminissent, inquit, tot ærumnarum, quas hucusque pertulissent: æstimarent impotentem dominatum, qui paucorum licentiâ exerceretur: Vindicarent adeò veterem gloriam, & pro laude ac salute suæ gentis dimicarent, neq; sinerent per socordiamadolescere, quorum & suspecta fides, & odiosa imperandi cupido esset. Facile assenserunt Prussi, & Svantipolcum Ducem secuti, funesta rebellione pæne exitium Crucigeris attulerunt.

* Svantipolcus domesticis scriptoribus, exteris Sventipolcus signatur. Qui Prussis autor ad res novandas, & excutiendum obsequium fuit. Primò stetit à partibus Teutonum. Cassp. Schutz in Chr. Boruss. Micral. de Vet. Wend. Pom. Deinde ut Venedorum ingenia sunt, offensus florentibus Teutonum rebus, occultum odium testatus est aperto bello, quanquam in eo excusando totus est Jo. Micralius in Ch. Pom. p. 277. seq. moriturus verò animum mutavit, filiisq; bellum cum Crucigeris gerendum dissuasit, Neug. p. 156.

D *** Cro-

** Cromerus *rer. Pol.* l. 8. p. 148. l. 9. p. 162. & 172.
Neug. l. 3. p. 145. collat. cum p. 155. Addantur Nic. Fe-
roschin, Milfelt, Henneberger, & alii. Ubi graviter
affirmant, in Prussia Crucigeros adversa fortuna usos,
pane deletos fuisse à Prutenis. Ita sæpe ab initio quædã
cedunt prosperè, quæ mox facta rerum commutatio-
ne, fortunam adversam habent.

27. Sed firmatis iterùm rebus, ex templò pro-
speriori fortuna sublata, quædam insolentiùs facere,
audaciusq; appetere aliena cœperunt. Primò socio-
rum fines aggressi, vel puncto temporis pristinae
amicitiæ fructum amiserunt. Inde Lithvaniam, quæ
in ditioe Polonorum est, intercepturi, * profundæ
imperandi ambitionis exemplū præbuerunt. Mox
in Pomeraniam factò impetu, tributis exigendis
populum maximè debilitarunt, demùm fœdera
aut rarò, aut quæstus causa servarunt, ** hisq; reb9
omnium odia sibi concitarunt.

* *Neugeb. H. P.* l. 5. p. 242. & p. 207. Duce Keistuto,
ubi nondum Polonia innexa erat. Chytraeus in *Boruss.*
ad A. 1322. Et refert hic *Neugeb.* in Casimiro M. Cruci-
gerorum armis omnem pænè Poloniam attritam af-
flictamq; fuisse. Initia dominatus Crucigerorum appa-
ruerunt tempore Premislai Regis, *Neugeb. H. P.* p. 173.
179. Ea aucta sunt tempore Vladislai Loctici, Casimiri
& in primis Vladislai Jagellonis.

** *Cromerus* l. 12. p. 205. *Neugebauer H. P.* p. 179.
& 198. *David Chytraeus cit. loc.*

28. Hæc dum ita agerent Crucigeri, auderentq;
indies plura, Poloni se tandè opprimendos veriti,
fi

si conniverent in posterum, cepērunt consiliū gerendi belli. * Id cum rescivissent Crucigeri, ** fama viribusq; suis nixi, & præterea occasione utendum rati, de hoste quamprimum invadendo consultarunt. Sed aliquoties à Polonis fusi, *** castrisq; exuti, omni spe proferendi dominatus exciderunt, insigni & ad posterorum memoriam transmittendo argumento, Deo curæ esse injurias, esse ultionem.

* Consultationis initium lentum & à moderatione laudandum fuit, Cromerus l. 15. p. 255. Mox subiit fervor, cum Crucigeri pertasi pacis, violarent pacta, & naves regias Vistula de vectas interciperent, l. 16.

** Isunt duum generum, Prussici & Livonici: quorum hi illis obnoxii, & sæpe contra Polonos adjuutores fuerunt. Ut non dubitet Cromerus sæpe iniquitatis postulare; Neugeb. p. 255. 260. & alibi passim. De Livonicis conf. Salomon Henning, Baltb. Russo. Illud hic addiderim de Prussiciis, ob controversias cum Polonis à Pontifice diris devotos esse, Crom. rer. Pol. l. 12. p. 206. Et tanta ipsorum iniquitas in Ecclesiasticos memoratur, ut omnium templorum aditu prohiberentur, Id. p. 184. Neq; multum semper venerati sunt auctoritatem Pontificum Romanorum, Id. p. 201. Non secus, atq; ipsi Poloni aliquando, Crom. l. 25. Quosdam tamen equiores habuerunt, Id. p. 264. Fuerunt etiam, qui legationes mitterent pro conservando ipsorum jure, in primis Imperator & Imperii Principes, Cromerus l. 16. p. 267. l. 22. p. 351. & l. 25. p. 387. Extantq; diplomata, quibus Rex Polonia ob Prussiam Imperio subductam in perduellium atq; hostium Imperii numero habitus est. Vid. de Lud. Bavaro Conring. de orig. jur. Germ. cap. 31. & Goldast. in Const. Imp.

*** Non hic obliviscendum Hedwigis Jagelloni nupta vaticinium ap. Crom. l. 15. p. 255. Primam, eamq; insigniorem cladem Crucigeri acceperunt in Svecensi ditione, id. l. 16. p. 266. Nec multo post iterum casi, ob nimiam fiduciam vincendi, ibid. p. 268. Neq; huc attinet referre omnia pralia, quibus succubuerunt Crucigeri. Saltem dicendum est, Vladislaum Jagellonem jecisse fundamentum Prussia Polonis acquirenda



de, Crom. l. 17. p. 271. confirmasse Casimirum III. qui Magistrum Ordinis atq; Crucigeros in fidem ac clientelam recepit, Crom. lib. 26. p. 393. 394. Dav. Chytraus in Boruss. ad A. 1452. Bucholc. Ind. Chron. ad A. 1465. perfecisse demum Sigismundum, Bernbardus Vapovius in frugm. p. 592. Aub. Miraus de stat. rel. l. 1. cap. 49. de Pruss. Hoc enim rege ordo Cruciferorum sublatu, Alberto Marchioni Brand. titulus Ducis reliqua Prussia, qua nondum ad Polonos desciverat (causas eventusq; describit Cass. Schutz in Chronico) lege beneficiaria concessus est. Ab hoc tempore Sigismundus se scripsit Prussia Dominus & heredem, apud Mich. Frydwallt Prussici fisci curatorem in defens. Diplomata supersunt Latine edita, & in Germanicum conversa ad hunc modum, König zu Polen &c. über Neussen/Preussen &c. Herr und Erbling. Hujusq; supremi Imperii beneficiarii respectu Albertus Marchio eum Regem & Dominum appellat in literis 10. Apr. A. 1566. scriptis. Sed solutus nunc ille nexus in solidum est auspicio Friderici Wilhelmi, ad supremi Ducis fastigium eVecti per formulam pacti Velaviensis, quod coaluit inter Polonia regem regnumq; & Electorem 19. Sept. A. 1657. solennis in possessionem parti juris inauguratio successit 8. Octob. A. 1663. ad quem annum non poenitebit evolvere Diar. Europ. unde & ritus inaugurandi majestas, & ornamentorum maxima pompa innotescunt. Sepe hic stomachum movet vulgus, cum praefecturas Buthaw & Lauenburg in Pomerellia sitas, & hodieq; beneficiario vinculo innexas non secernit à Prussia, quam vocant, Ducali, cujus habitatione nemini, praeter Deum, tenetur, jure augustus, potestate supremus salutatur. In quam rem extant tot cusi argentei nummi, supremi in Prussos imperii ad posteritatis memoriã duraturi testes. Reperiuntur hic, qui affirmant, Prussiam Ducalem ab Electore postliminiã Germania acquisitam esse. Cum quibus sentiant Burgoldensis, & comutato nomine Pacificus à Lapide, ille Not. Imp. part. 1. p. 170. hic in Monzamb. p. 51. Jo. Wolf. Textor tr. Jur. publ. cap. 19. ea opinione est, ut scribat, hujusmodi acquirentes adigi lege posse, quò ditiones olim imperii beneficiarias rursus imperio offerant, vinculo beneficiario innectendas. Prussiam ea conditione fuisse, evincas ex Jo. Sleid. Jac. Aug. Thuanus, R. I. A. 1500. atq; ex ipsismet scriptoribus Polonicarum rerum. Sed dicant id & defendant, qui volent: mihi satis est, pactis conventis longè aliam legem à rege & Regno Poloniae dictam esse. Nempe haberet sibi Elector Prussiam Ducalẽ separatã civitatis jure, & adeo nō Germaniã innecteret, ut quoq; maribus liberis heredibusq; ejus in universum extinctis rediret in reipublica Polonica corpus. Cujus legis dicenda potestatem, & varios usucapionis bel-
liq; titulos in praesens eruere nec licet, neq; vacat. Tantummodo
conf. Mulsz. de omn. lib. cap. 10.

Q.K. 395, 22.


X 1903423

RE


CONR
SCI

JOHA

In



Formis WEND



KODAK Color Control Patches

Kodak

LICENSED PRODUCT

3/Color Black

© The Tiffen Company, 2000

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black



S.

ELE

US

ad. Typ.

R38. 38

